
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS LANDER,

A. B. T. C. D.

HIBERNUS.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Πολλὰς Σιφθίμους Ψυχὰς αἰεὶ προτὰ φέρ
Ἡραων.

Hom. II. Lib. I.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN

MDCCC.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

JACOBO KEARNY,

ARMIGERO,

DE GARRETTSTOWN,

IN COMITATU CORCAGIENSIS,

VITÆ INTEGRITATE, GENERISQUE

HUMANI AMORE

INSIGNI ;

OB MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA,


OPUSCULUM HOCCE JUVENILE

PEREXIGUUM GRATI ANIMI TESTIMONIUM

SACRUM

VULT

GULIELMUS LANDER.



DEPARTMENT OF
DISTRICT OF COLUMBIA

THE DISTRICT OF COLUMBIA
OFFICE OF THE DISTRICT CLERK
1900

IN WITNESS WHEREOF
I have hereunto set my hand
and the seal of the District
of Columbia at Washington
this 1st day of January
1900.

JOHN W. WALKER
District Clerk

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

GULIELMO LANDER AUCTORE.

PAUCI morbi regiones calidiores frequentius infestant quam Dysenteria. Æstate exeunte, et autumni initio præcipue grassatur; quo tempore intermittentes autumnales, quibuscum sæpe conjungitur *, sæviunt. Hicce morbus, propter contagiosam ejus naturam, universos exercitus, classes, nosocomia, urbesque, frequenter pervadit. Variis formis adoratitur. Interdum incipit rigoribus, languore, lassitudine,

* Vide ZIMMERMANNUM, PRINGLE, et CULLENUM.

fitudine, summa virium prostratione, cibi averfatione, ingrato oris sapore, vomituque bilioso frequenti; capitis dolore, fiti, et pulsu celeri.

Febris quæ eum comitatur, sæpe varia est. Modo intermittentis, modo synochæ formam induit. Plerumque autem sub typhi forma, putredinis symptomatis stipati, apparet. Intestina interdum afficiuntur priusquam signa febrilia advenerint; ut manifestum est, ab ingenti alvi constipatione, flatuque insolito canali alimentario emisso. Interdum vero, quamvis rarius * diarrhœa, torminibus, crebroque alvum evacuandi desiderio stipata, principio occurrit. Primo biduo dejectiones fere naturales, sed copiosæ sunt. Sed brevi frequentiores, verum minus copiosæ fiunt, molestissimo tenesmo comitante. Decies vel vicies in die intestina exonerare sollicitantur ægri. Exemplum a ZIMMERMANNO memoratur, ubi, sæpius quam quinquagies in die, hocce desiderium occurrebat. In eodem ægro, diversis morbi stadiis, dejectione-

nuum

* Vide CLEGHORN'S Diseases of Minorca.

num qualitas multum variatur. Modo mucosæ elabuntur, modo purulentæ, coloris albi, rubri, viridis, vel etiam subnigri fætores cadaverum instar, stipatæ, et haud raro sanguine imbutæ. Sanguis sincerus, ut nonnulli volunt, interdum profluit adeo copiose, ut æger in vite discrimen deferatur *. Interdum particule substantiæ, caseum vel adipem referentis, et haud raro portiones membranacæ, quæ, in cæcæ tunicæ villosæ abrasiones, plerumque habentur, dejiciuntur. Vermes quoque sæpe detruduntur; generis lumbricorum vel ascariidum plerumque sunt †. Hoc morbi tempore stranguria urinæque suppressio ægrum miserum sæpe cruciant. Quicquid autem urinæ redditur, subrubri coloris est, et turbidam materiam in imo vasi deponit. Lingua eodem tempore immunda est, dentesque nigrâ crustâ obducuntur.

A 2

Jamque

* Vide MOSELY on Tropical Diseases, p. 169.

† ZIMMERMANNUM de Dysenteria Anglica, p. 174

Jamque fæces alvinæ raro dejiciuntur, vel si
 ægre detruduntur, globorum inducatorum, qui
 scibola vulgo audiunt, formam induunt. Eorum
 dejectio, torminibus, tenesino, cæterisque sympto-
 matis molestis, aliquantulum levaminis adfert. Tor-
 mina modo supra, modo infra umbilicum cruciant,
 ægerque intestina quasi infra situm descendentia,
 sentit, nausea, vomitûque eodem tempore sæpe
 præsentibus. Per morbi decursum, sed nullo præ
 cæteris tempore *, variæ eruptiones occurrere di-
 cuntur. Pulsus varius est, sæpe debilis, parvus,
 nisi in quibusdam exemplis, quæ verno tempore
 accidunt, validoque corporis habitu præditos ado-
 riuntur. Cutis admodum arida est, et cuticula in
 squamas abit.

Quamvis symptomatum, quæ vulgo occurrunt,
 mentionem feci, tamen accessio pro ægri habitu,
 vitæ genere, &c. plus minus mitis est. Quum
 morbus gravior sit, symptomata supra enumerata
 non

* SID.NHAM. loc. cit.

non solum violentiora sunt, sed multa alia contumantur. Cutis interdum petechiis, interdum eruptione miliari obducitur. Fauces obducuntur ulcusculis mali moris, quae deglutitionem difficilem reddunt, inque gangraenam saepe dehiunt. Dejectiones frequentissimae et fetidissimae sunt, aegroque inconscia elabuntur. Pulsus debilis, tremulus et intermittens evadit. Respiratione singultu perpetuo impeditur. Oculi hebescant. Sitis multum urget, et levissimis causis ad animi deliquium facilis propeho est. Dum res ita sese habent, urina varia est, limpida, nigra, vel rubra. Abdomen tumescit, et tormina indefinenter urgent. Cutis arida est, tandemque subsultu tendinum, delirio et convulsionibus supervenientibus, tormina cessant, pulsus intermittit, extremitates frigescent, frigidus viscidusque sudor erumpit, visus omnino aboletur, demumque praematura morte corripitur aeger. Omnia, quorum mentionem feci, symptomata in eodem homine raro occurrere observantur. Quia morbus fit mitis, recteque tractetur, intra paucos dies progressus ejus retardatur. Omnia sympto-

mata

6 DE DYSENTERIA.

mata paulatim decedunt. Tormina et tenesmus non admodum urgent. Fæces naturales redduntur; febris mitescit, somnus, sibi que desiderium recrudescunt. Sæpenumero in diarrhœam simplicem vel signis lientericis * stipatam, desinit. Morbus magis minusve diuturnus est, interdum enim inter primam vel secundam hebdomadam, alias autem non ante plures hebdomadas vel etiam menses, debellatur. Qui ex hoc morbo convaluerunt, quum frigido aëri temere sese exponant, vel cibum, quem ventriculi eorum debilitas concoquere nequit, ingerant, morbi reditui obnoxii sunt. Ab his noxiis igitur, cavere præmonendi sunt.

CAUSÆ QUÆ HUIC MORBO OPPORTU- NOS REDDUNT.

QUAMVIS pauci, dysenterix contagioni expositi, impune evadunt; tamen nonnullos præ cæteris,
ad

* Vide CULLEN'S First Lines, Vol. III. p. 124.

ad hunc morbum proclives esse, propter peculiarem corporis constitutionem, manifestum apparet; et hanc peculiarem constitutionem, a fluidorum ad putrescentiam proclivitate, et solidorum debilitate, pendere, verisimile videtur. Hinc omnes causæ, quæ in corpus ita agunt, ut systematis conditionem supra dictam, excitent, hujusce morbi causas prædisponentes haberi debent. Omnium causarum, quæ putrescentiam inducunt, præcipua jure æstimanda est calor cum humiditate conjunctus. Quæ opinio observationibus, quas de morbo fecimus, annique temporis quo apparet, omnino arridet; quoniam regionibus calidis valde familiaris est, illique in regionibus præsertim adoritur, sub æstatis finem et autumnii initio, quando dies calidissimi, noctesque frigidiusculæ, humidæque, sunt. Quamvis calor humiditati additus, præcipua causarum est, quæ huic morbo obnoxios faciunt, tamen aliæ manifestæ sunt, nempe, cibus vel aqua noxia, immunditia; aër impurus; carnis sine vegetabilibus usus immodicus; magna defatigatio; venus nimia morbique prægressi. Hinc dysenteria,

ria, totos exercitus, classesque interdum lustrat; milites, qui in castris degunt, ei præcipue sunt obnoxii; quoniam, dum ducis imperio parent, subitis caloris et frigoris vicibus sese committere coguntur, non satis vestiti, ciboque male nutriti. Cur toties classes infestet, eandem explicationem admittit. Postremo ebrietas, evacuationes immodicæ, ac quicquid corpus multum debilitat, ad hunc morbum proclivitatem generat.

CAUSÆ EXCITANTES.

DYSENTERIAM a contagione specifica oriri, inter plerosque hodie convenit; quod quamvis plerumque accidere arbitror, tamen a causis fortuitis sæpe induci credere vellem, præsertim autem in plagis calidioribus; multaque morbi exempla, quæ hanc rem confirmant, traduntur. Hujusmodi casus memorabilis mentionem facit Dom. LASONE Regiæ Medicæ Societatis Parisiensis Socius. Anno 1749, morbus apud pecora grassatus est, quo plu-

rima eorum perempta, et prope templum L'enfant JESU nuncupatum sine idonea attentione in terra deposita sunt; unde plurimæ fœminæ dysenteria, cæterisque morbis putridis, propter effluvium, quo canalis alimentarius stimulatus est, flexæ sunt *.

E variis causis excitantibus ab auctoribus memoratis, frequentissimæ sunt sequentes: nempe, fructus usus immodicus, transpiratio impediata, paludum miasmata, bilis acris, et contagio. De harum unaquaque breviter differendum. Nimirum fructus ingurgitationem dysentericæ causam excitantem habuerunt medici pristini et apud hodiernos quoque nonnulli; huic opinioni autem adeo obstant experimenta et medendi methodus, ut, ni fallor, jam prorsus exularit; scriptoresque hujusce morbi peritissimi, fructum, præcipuam medicinæ partem abstinent. Cl. BAKER agris suis largum fructus usum concessit, atque PRINGLE, quum copiarum Britannicarum salutem in America præesset, dysentericis uvas largitus est.

B

Cel.

* Vide Med. & Physical Journal, p. 352.

Cel. medicus Gallus affirmat, ex undecim ægris, novem qui fructum adhibuere, ad salutem reductos, mortuos, autem, reliquos duos, qui eum pertinaciter recusarunt.

Perspiratio impedita. Num hæc inter causas, morbum excitantes, habita, sine aliarum opere conjuncta, morbum gignere possit, me judice, non constat. Tempus anni quo grassatur morbus, huic opinioni favere videtur; tum enim dies calidi, contra noctes, propter crebras, quæ a cœlo descendunt, nebulas, humidæ, frigidæque sunt, unde sæpe impeditur perspiratio; et contagione vel rebus quæ contagionem generant, applicatis, facile excitatur morbus.

Qui materiam perspirabilem cohibitam, inque sanguinis circuentis massam generalem rursus receptam, dyfenterix causam ducunt, consentiunt, tunc temporis acridam, et ad putredinem proclivem, cæteraque fluida sibimetipsi similia reddendo parem, esse factam. Verum Doctoris PRIESTLY experimenta, materiam perspirationis ad putrescentiam

sentiam non tam obnoxiam esse, ac alii voluerunt, nobis fidem faciunt.

Paludum effluvia, hunc morbum generare, multi præsertim SYDENHAMUS et PRINGLE, arbitrantur; quorum ille, “ febrim prævalentem in
 “ intestina versam” eum nuncupat, hic, hujusmodi miasma, non solum intermittentibus, verum etiam dysenteria, originem præbere posse, opinatur. Quantumvis magna sit eorum auctoritas et etiamsi ambo morbi, eodem tempore, et in iisdem plagis, occurrant, tamen utriusque causam excitantem esse eandem, vix credibile mihi videtur.

Acrida Bilis. In plerisque dysenteria peremptis bilis morbida invenitur; quæ res, opinioni, hanc bilis conditionem vitiosam morbi causam existere, originem præbuit, eandemque confirmari videtur, quia, dysenteria tempestatibus, quando febres biliosæ, cholera, &c. occurrunt, caput suum efferre observatur. Huic opinioni, autem, sæpe obstat, facies, quam exhibent multa vilce-

rum abdominalium difficta; hepar enim, vesica fellea, et intestina tenuia, sana frequenter, reperiuntur. Bilem, enim, quamvis principio fit mitis, neque alias partes afficiat, tamen quum calore et morâ acrida fit facta, easdem non solum irritare, verum etiam corrodere, certum et competentum est.

Contagio. Ad dysenteriaë causam passim admisissam, et in hisce regionibus forsan unicam, jam perventum. Veruntamen hanc causam magis generalem, quam forsan revera est, haberi autumno: quoniam medici solertia diligentiaque insignes, morbum observarint tempore, quo nulla contagionis indicia, detegi potuere, quumque solummodo defatigatione somnoque deficienti attribui posset. Porro CHRISTIE * affirmat, dysenteriam ab uno ad alterum propagatam nunquam vidisse. Morbum, quando in variis Europæ partibus occurrit, non esse contagiosum, minime affirmo;

* Vide Med. et Phy. Journ.

mo; contra, rem fore semper ita sese habere credo: sed, cur in plagis calidioribus non æque contagiosus sit, rationem reddere nequeo. Contagionis natura tam obscura est, ut difficillimum sit explicare, cur morbus, iisdem symptomatis stigatus, ab uno homine ad alterum, in quibusdam plagis et non in aliis propagetur. Contagiosæ ejus naturæ, varia exempla quæ, in iis regionibus occurrunt, litem dirimunt. Plurimis enim contagio impertitur in cloacis, ubi dysenterici laborantes alvum exonerant. Dum alii, qui ægrorum vestimenta aquâ mundant, morbo prestantur. Mulierem dysenteria detentam, proli suæ morbum communicare se vidisse memorat ZIMMERMANNUS.

De causis proximis adeo dissentiunt medici, ut de hac dissertationis parte admodum pauca scripto tradere statui. Præcipuas solummodò causas, unde morbus dimanare habitus est percurrere idoneum mihi videtur.

Materiam acrem, in intestinis aut generatam, vel illuc delatam, eadem irritantem, motumque peristalticum intendentem, dejectionibusque frequentibus originem præbentem, dysentericiæ causam

proximam

proximam esse, plurimi duxerunt. Verum hæc opinio, me judice, neque morbi symptomatis, neque rationi consentanea videtur. Namque aliqua materia acris. in intestina delata, vel ibi genita, dejectiones, non solum frequentes, verum etiam copiosas, sollicitat. In dysenteria autem quamvis sæpe dejiciat ægrotans, id fit parce, et fæces naturales in coli cellulis detinentur. Cel CULLENUS opinatus est, causam proximam, vel saltem præcipuam ejus partem, in præternaturali coli constrictione consistere, quæ conatos spasmodicos, vehementiaque tormina efficiebat, eosque conatus ad rectum descendentes crebras dejectiones mucosas, tenesitumque frequentem ibi generare. Talem constrictionem spasmodicam, nequaquam existere affirmat Cel. MUNRO, quoniam in plurimis morbo peremptorum exemplis, quæ illi occasio oblata est vivendi, hujusmodi constrictionis nulla vestigia, unquam detegere potuit. Porro, anti-spasmodica, morbo adeo non proficere ut noceant animadvertit. Sectis cadaveribus, intestina inflammationem plerumque exhibuerunt, unde solum

lum morbi causam proximam derivandam opinatus est.

DIAGNOSIS.

NULLI existunt morbi quibuscum confundi potest dysenteria, si diarrhœam et choleram forsan atque colicam excipias. A diarrhœa distinguunt eam sequentia. Dysenteriam perpetuo comitatur febris primaria, diarrhœam nunquam; si casu autem supervenit febris, symptomatica semper habenda.

In diarrhœa dejectiones, non solum frequentes, verum etiam copiosæ sunt, neque, ut in dysenteria usu venit spasmodice afficitur colon. In illa tormina et tenesmus non æque vehementia, ac in hac, sunt. Diarrhœa nunquam contagiosa est; dysenteria vero, præsertim in hac insu'a, contagione propagatur. *Dysenteriam a cholera distinguunt, frequentes biliosæ dejectiones et vomitus,*
cru.

crurumque affectio spasmodica, apyrexia, summaque debilitas, quæ, in posteriori tam subito inducuntur. *Signa colicæ* sequentia, morbum non dysenteriam esse, manifesto commonstrant. In colica dolor plerumque circa umbilicum hæret, vel nonnunquam per varias abdominis partes diffunditur. Alvus in plerisque exemplis admodum astricta est, musculique circa umbilicum magnopere contrahuntur. Materia stercoracea vomitû frequenter emititur. Demumque nulla pyrexia cholericam prægreditur.

PROGNOSIS.

EA hujusce morbi est natura, ut unaquaque ejus species periculum secum adferat; præcipue, vero, cum prima stadia aut negligantur, vel perperam curentur. Si ætas, corporis habitus, anni tempestas et symptomata, rite perpenduntur, certior erit prognosis. Ætatem, corporisque habitum, quod attinet: infantes, fœminæ, et ætate proveci,

profecti, in majore periculo versantur, quam homines in medio vitæ tempore, qui valido robustoque corporis habitu sunt instructi. Eorum qui ad scorbutum opportuni, vel quorum vires morbis prægressis multum fractæ sunt, periculum maximum est, et in iis plerumque lethalis evadit morbus. Neque prætermittendum est anni tempus. PRINGLE animadvertit, multo plures esse mortuos, qui tempore autumnali, quam æstivo morbo plexi sunt: hyemeque mitiorem semper esse morbum. Symptomatum violentia præcipuam attentionem vindicat. Si, morbo incipiente, copiosæ sunt dejectiones, tenesmus et tormina non admodum urgent, si pyrexia levis est, vel remittit, si corporis robur parum imminuitur, si somnus satis recreans et appetitus bonus sunt, et, imprimis, si symptomata remediis administratis cedunt, eventum morbi faustum fore, fere pro certo nobis prædicere liceat. Contra, periculum adesse colligendum, si symptomata violenta curationi idoneæ non cedunt. Si putredinis signis morbus stipatur, si adsunt petechiæ, maculæ, vibices, stercoreisque fætor into-

lerandus. Delirium, parvus, debilis pulsus, singultus, convulsiones, anxietatis circa præcordia sensus, urina et stercora, sponte elabentia, torminum vehementium cessatio subita, omnia hæc mortis appropinquantis signa sunt habenda.

RATIO SYMPTOMATUM.

SECTIS cadaveribus, tunicæ villosæ coli et recti, quæ semper inflammata reperitur, potissimum insidere morbum, constat. Huic inflammationi, magna ex parte, debentur multa symptomata urgentia. Quoniam autem hæc adeo numerosa existunt, solummodo præcipua perstringam. Tormina, quæ ægrum adeo cruciant, oriri videntur a stercore diutius retento. Id enim, vi mechanica, sive chemica, intestina ita stimulat et irritat, ut vehementem dolorem excitet. Quum intestina tot nervis sint instructa, cur a causis levissimis dolore afficiantur, facile est colligere. Tenesimum efficiunt summa debilitas et inflammatio recti, quæ a mucis,

morbi principio frequentibus dejectionibus educti, defectû, pendere videntur. Tenesimum a consensu, qui inter rectum imumque canalem alimentarium intercedit, provenire, complures existimant; motum, nempe, peristalticum intestinorum supra termina, infra, tenesimum, gignere. Dejectiones mucosæ occurrunt, propter auctam intestinorum actionem, quam facit irritatio, unde glandulæ, ibi sitæ, magnam vim mucii secernunt. Hic mucus indolis morbidae est, quæ irritationem servat, crebrisque alvi dejectionibus, inmani dolore stipatis, originem præbet. Dejectiones sanguinæ pro causa agnoscunt rupturam vel erosionem, sive, secundum MORGAGNI, dilatationem vasorum superficiali intestinorum internæ impensorum. Scybala generat internæ coli et recti superficiali inflammatione; namque tunicæ eorum crassiores evadunt, et spasmodice afficiuntur, passimque constrictiores, angustioresque fiunt, quas ob causas fæces non redduntur, sed tenuior earum pars stagnando resorbetur, crassior autem diutius retinetur, et quum detrudatur, cellularum, in quibus delituerat, for-

nam præ se fert. Substantiam, membranas referentem, quæ una cum dejectionibus elabatur, alii pro lymphâ coagulabili, alii, autem, pro parte tunicæ villosæ abrafa, habent. Tunicam villosam, non abrâdi solere, nisi quum intestina gangræna laborent, opinatur ZIMMERMANNUS. Hoc tempore, interdum supervenit dysuria, quam gignere creditur inflammatio a recto vicino ad vesicam propagata, vel partium consensus.

SECTIO CADAVERUM.

QUAMVIS omnia viscera abdominalia, interdum afficiuntur, tamen intestinâ præsertim crassioribus, plerumque insidet morbus. Colon et rectum solito crassiora, et aëre distenta inveniuntur; sæpe inflammata, exulcerata et gangrænosa. In multis morbi exemplis, intestinorum crassiorum superficiem internam occupant tubercula parva, quæ BAKER pustulis variolosis comparat. Parva, rotunda, nigri coloris puncta circa eorum bases observantur,

“ Some-

“ Sometimes they appear like a small eating ul-
 “ cer in the gut, in which the prominence of the
 “ edges gives an appearance of a loss of sub-
 “ stance, or as if the villous coat was entirely re-
 “ moved *.” Hæc tubercula in coli cellulis sæpe
 reperiuntur, interdum quoque in membrana
 cellulari peritonæi colo et recto proxima. CLEG-
 HORN plerumque animadvertit, superiorem intesti-
 norum partem firmam; partes vero inferiores aut
 inflammatas, vel membranacearum substantiarum
 ope, sibi invicem præter naturam ad hærentes.
 Duorum hominum dysenteriâ laborantium omen-
 tum profus fere deletum ab eodem est inventum.
 Parvæ ejus reliquæ omnino nigre fuere, et ma-
 teria purulenta alba in abdomine detecta est. Ve-
 fica fellea ut plurimum, bilis nigra cantis plena, et
 sæpe multum aucta, invenitur; splenque sæpe
 plus minus putridus existit. Renes quoque plus
 minusve imminutos invenit PRINGLE. Neque
 ventriculus ipse, vel cætera viscera abdominalia,
 morbi

* Vide JOHN HUNTER, on the Diseases of the Army in Jamaica, p. 230.

morbi effectuum semper manent immunia. Etiam externa abdominis integumenta, inflammatione, e-
jusque sequelis, interdum affecta sunt. Glandulas mesentricas multum auctas, et lienem induratum, compluresque abscessus in ejus substantia, observa-
vit CHRISTIE.

METHODUS MEDENDI.

IMMUTABILIA medendi consilia proponere nol-
lem; quia, adeo diversam in diversis hominibus mor-
bus induit formam, ut remedia nostra, et medendi
methodus symptomatis morbi que varietati accommo-
dari debeant. Si arteriarum pulsus frequentes, vali-
di durique, cætera que inflammationis signa concu-
runt, sanguinem detrahendum est, etiam que quo-
vis morbi stadio, ne enteritis superveniat. Sed
summa cum cautela illud efficiendum est, quoniam,
quæ morbum comitatur, febris sæpe typhoides
est. Ut materia acris, fæces que induratæ remo-
veantur, medicamenta emetica purgantia que ple-
rumque

rumque adhibentur. Præsertim morbi principio utilis invenitur vomitio, cui consilio ipecacuanha, sive antimonium tartarifatum, bene inserviunt. Verum nequaquam sine discrimine usurpanda sunt, antimonium tartarifatum enim emeticum nimis vehemens est agris debilibus, præsertim autem in regionibus calidis, ubi corpus admodum laxum redditur, et magna ad putredinem proclivitas adest. Verum in regionibus frigidis, habituque corporis plethorico, tale remedium plerumque adhiberi debet. Quum fæces induratæ sola purgatione prorsus sint auferendæ, alvus quam primum educenda; purgantium, mitiora anteferenda sunt, quoniam eorum frequenti repetitione forsan usus erit. Cum autem fæces induratæ removendæ sunt, utcunque id fieri potest, si cathartica mitiora optatum effectum non præstant, ad fortiora decurrendum. Cathartica mitiora quæ aliis forsan anteponenda sunt, et vulgo adhibentur, sunt sequentia; soda vitriolata, soda tartarizata, soda phosphorata, magnesia vitriolata, antimonium tartarizatum, ipecacuanha, oleum ricini, vitrum antimo-

nii ceratum, et calomelas. Ex horum numero, medici alii aliis uti solent.

DR. DONALDUS MUNRO magnesianam vitriolatam, CLEGHORN vitrum antimonii ceratum, PRINGLE et HUXHAM rhabarbarum cum calcomelane, et CULLENUS antimonium tartarizatum parvis dosibus administratum, præ aliis præscribere solitus est. Cathartorum, quæ supra enumeravi, quodcumque adhibemus, alvum summa cura laxum fervandum; et quam minimam irritationem impertendum. Si horum remediorum nullum medentis voto respondet, deinde confugiendum ad cathartica magis draistica, qualia sunt jalapium, calomelas magnis dosibus exhibitum, &c. Quum ventriculus admodum irritabilis, et ad nauseam vomitumque proclivitas adest, ad nauseam vel vomitum arcendum quodvis gratum aromaticum ei adjiciendum est. Summum fecum adferunt auxilium clysmata, quoniam non solum fæces evacuant, verum etiam intestina fovent et lubricant, et ab acrimonia defendunt, atque sic dolorem immanem

compescunt. Oleosa et mucilaginoso qualia sunt pullorum gallinaceorum jusculum, lini infusum, &c. cæteris præstant. Symptomatis inflammationis et pyrexiaë devictis, clysmatis supra enumeratis cum magno beneficio adjici potest opium. Opium ore receptum, postquam clysmata satis adhibita sint, ad medelam plurimum confert; somnum enim conciliat, intestinorum irritabilitatem hebetat, et tormina supprimit. Propter opinionem, dysenteriam a transpiratione cohibita ortum suum ducere, complures sudorifica adhibere adducti sunt, eoque consilio emetica vel pulv. Ipec. comp. parvis dosibus administrarunt; diluentibus tepidis simul datis, et transpiratione sic elicita, pannis lanneis cuti proximè applicatis servata. Vehementia tormina sæpe adeo molesta fiunt, ut summam attentionem merito vindicent. Ad hæc superanda, balneo tepido utendum est, et abdomini admovenda sunt fomenta calida, quæ non solum huic consilio perficiendo idonea existunt, verum etiam, cum purgantibus opus conferunt, intestinorum affectione spasmodica aliquantulum relaxatâ. Vesicatoria

D

quoque

quoque eodem pertinent. Urgente tenefmo, quumque purgantibus vel opio leniri nequeat, rectum forsan exulceratum esse, concludendum: quod cum accidit, decoctum cindonæ, cum opio, vel chamœmeli floribus cum lactis pauxillo, compositum, injiciatur oportet. Interdum ventriculus, et intestina multo acore opprimuntur; cui corrigendo, vel occurrendo absorbentia vel emolientia optime accommodantur.

Illorum magnesia et creta præparata, horum lini semen vel ex oryza decoctum, administrantur: Propter frequens alvi exonerandi desiderium, astringentia olim adhiberi solebant; hodie, autem, nisi tale desiderium diu persistit, non præscribuntur. Hoc tempore purgationem comitatur hæctica. Quamvis præcipua remedia enumeravi, magna debilitas et ad putredinem proclivitas jusse morbi perpetuæ comites in memoria semper tenendæ, iisque cum summa cura occurri debet. Concedenda, igitur, vinum et cortex Peruvianus; quumque debilitas et ad putredinem

proclivitas, summæ sint, hæc liberali manu administranda, præsertim, autem, si alvus prius bene purgata fuerit. Quum summa debilitas morbum comitaretur, electuarii cateche, decocto cinchonæ adjecto, cum magno beneficio uti solebat DR WHYTT.

Si cortex nimis purgat, aliquantulum opii adjiciatur. Dum morbus vehemens manet ad diætæ genus curam adhibere, summi momenti est. Potus sit decoctum hordeaceum, cui pauxillum sacchari adjectum est, sago panada, juscula tenuia, et sic porro. Ineunte dysenteriâ, maturi fructus concedendi sunt, quum vero diu persisterit malum, acor morbidus abundare periclitatur, et cujuscunque generis acida, damnum inferre possunt. Per totum morbi decursum, mundities summa attentione colenda est; quique a morbo convalescunt leni exercitatione sub puro cœlo, et indusio laneo uti debent. Ad munia solita, ne frigore afficiantur cautissime revertantur. In utraque India, medici Mercurio internè et externè, large uti solent; præcipue,

præcipue, quum purgatio symptomatis levamini non fuerit. Hanc medendi methodum, monente DR KERR, cum summo ægris beneficio in Bombay, amplexus est DR CHRISTIE. Docet autem ad alia remedia, quoque pro re nata se contulisse. Illud nempe, (Angl. *James's Powders* dictum) clysmata emollientia, fomenta, balneum calidum, et interdum opii præparata. CHRISTIE porro observat, post Mercurii et cæterorum, quæ enumeravi, remediorum usum, sine ullius aliûs medicamenti ope, ægros suos, plerumque ad pristinam valetudinem paulatim esse reductos.

FINIS.